

„ & non peccare posse, ut semper nos liberi confiteamur esse arbitrii. Hæc est fides quam in catholica Ec-  
clesia didicimus, & quam semper tenuimus. “

DIVISIO TEXTUS.

ARTICULUS I.

Utrum homo possit facere aliquod bonum sine gratia.

1. 2. quest. cix. art. 2. & de ver. quest. xxiv. art. 14.

Postquam determinavit de gratia secundum veri-  
tatem, hic excludit quosdam errores circa gra-  
tiam: & dividitur in partes duas. In prima excludit  
errorem Pelagii, qui gratia derogabat; in secunda  
excludit errorem Joviniani, & Manichæi, qui ne-  
gabant liberum arbitrium, ibi: *Id ergo de gratia, &  
libero arbitrio indubitanter tenemus quod Hierony-  
mus... docet.* Prima dividitur in duas. In prima  
narrat positiones Pelagii; in secunda inducit ratio-  
nes ipsius, ibi: *Quod vero dicunt, hominem sine gra-  
tia per liberum arbitrium omnia jussa implere, hujus-  
modi inductionibus muniunt.* Ponuntur ergo quatuor  
rationes: quarum prima est, quod sine gratia potest  
homo perfecte legem Dei implere ex solo libero ar-  
bitrio, quamvis gratia ad hoc detur ut facilius ho-  
mo impleat, ad quod etiam nos Deus juvat instruendo  
per suam legem. Secunda positio consequens ex  
prima est, quod non oportebat orare neque pro fi-  
delibus, neque pro infidelibus, cum ex seipsis ho-  
mines bene, vel male operari habeant; & hoc ibi:  
*Destruunt & orationes quas facit Ecclesia.* Tertia est,  
quia dicunt, quod homo ex propriis actibus gratiam  
Dei mereatur, ibi: *Gratiam Dei, qua liberamur ab  
impetate, dicentes secundum merita nostra dari.* Quar-  
ta est, quia hominem sine peccato originali nasci di-  
cunt, & hoc ibi: *Parvulos etiam sine ullo peccati ori-  
ginalis vinculo asserunt nasci.*

Quod vero dicunt sine gratia hominem per liberum  
arbitrium omnia jussa implere, hujusmodi inductioni-  
bus muniunt. Hic ponitur confirmatio prædictarum  
rationum; & dividitur in partes sex, secundum sex  
auctoritates Augustini quæ inducuntur, ex quibus  
error Pelagii confirmari videtur. Secunda incipit ibi:  
(1) *Similiter etiam innitebatur Pelagius verbis Augus-  
tini; tertia ibi: Alibi etiam Augustinus dicit; quarta  
ibi: Sic etiam intelligendum est quod in eodem ait;  
quinta ibi: In expositione quoque quarundam propo-  
sitionum Epistolæ ad Romanos quædam Augustinus in-  
serit quæ videntur huic doctrinæ gratiæ adversari; sex-  
ta ibi: Illud etiam diligenter est inspiciendum.*

QUÆSTIO I.

HIC quinque queruntur.  
Primo. Utrum sine gratia homo aliquod bonum  
facere possit.

Secundo. Utrum sine gratia possit homo vitare  
peccatum.

Tertio. Utrum homo sine gratia possit mandatum  
legis implere.

Quarto. Utrum sine gratia, saltem gratis data,  
possit se homo ad gratiam preparare.

Quinto. Utrum sine gratia possit homo scientiam  
veritatis habere.

(1) Al. Aliter. (2) Vulgata: Non quod sufficientes  
scientia nostra ex Deo est. (3) Al. additur quæ est.

lia, & honesta, & altera sensibilis, secundum quam  
pronus est ad appetendum, & ad concupiscendum  
ea quæ sunt delectabilia secundum sensum; ideo  
ad hæc duo respicientes hæretici, contrarias hære-  
ses ex eadem radice prodeuntes confecerunt: quo-  
rum quidam, scilicet Joviniani, attendentes ad in-  
tellectualem naturam, hominem de necessitate bene  
operari, & nunquam posse peccare asserebant; alii  
vero, scilicet Manichæi, respicientes ad naturam sen-  
sibilem, quam secundum se malum esse dicebant, &  
à malo deo originem habuisse, dixerunt, quod ho-  
mo de necessitate peccat, nec bonum facere potest:  
in hoc penitus liberum arbitrium utriusque destruen-  
tes: non enim esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum  
determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio ju-  
dicio eligeret hoc, aut illud, ut supra dictum est.

Et ideo alii naturam liberi arbitrii salvare volen-  
tes, in alium errorem prolapsi sunt, scilicet Pelagia-  
ni, facultatem liberi arbitrii ampliantes; dicunt enim,  
quod quia liberum arbitrium de se non est determi-  
natum ad aliquod opus, sed ex ipso pendet determi-  
natio cujuscumque operis; ideo homo per liberum  
arbitrium in quodlibet bonum opus potest sine ali-  
qua gratia superaddita, etiam in opus meritorium:  
non attendentes quod opus meritorium non determi-  
net genus actus, sed efficaciam. Genera enim actuum  
distinguuntur secundum diversitatem objectorum:  
& quia liberum arbitrium ad nullum objectum deter-  
minatum est, ideo in quodlibet genus actus ex se  
potest; ut videlicet facere fortia, & justa, & hujus-  
modi. Sed actus meritorius habet efficaciam exce-  
dentem naturalem virtutem, in quantum est efficax  
ad illud præmium consequendum quod facultatem  
naturæ excedit: & ideo quod opus sit meritorium,  
non potest liberum arbitrium ex seipso, nisi suble-  
vetur per habitum qui etiam naturæ facultatem ex-  
cedat, qui gratia dicitur.

Et ideo secundum fidem catholicam, in medio  
contrariorum hæresum incedendum est, ut scilicet  
dicamus hominem per liberum arbitrium & bona,  
& mala facere posse; non tamen in actum merito-  
rium exire sine habitu gratiæ, sicut etiam non po-  
test homo sine habitu virtutis acquisitæ talem actum  
facere quem facit virtuosus quoad modum agendi,  
licet possit tale facere quantum ad genus operis, ut  
ly per se non excludat divinam causalitatem, secun-  
dum quod ipse Deus in omnibus operatur ut univer-  
salis causa boni, ut dicitur Isa. xxvi. 13. *Omnia ope-  
ra nostra operatus es (1) in nobis Domine: sed exclu-  
dit habitum aliquem creatum naturalibus superad-  
ditum.*

Ad primum ergo dicendum, quod, sicut supra  
dixit Magister, gratia dupliciter dicitur: uno modo  
donum gratuitum; alio modo ipse Deus gratis dans.  
Dona autem gratuita proprie dicuntur quæ natura-  
libus superaddita sunt: sine quibus donis homo mul-  
ta bona facere potest, quamvis non meritoria; nihil  
tamen boni potest facere sine gratia Dei, secundum  
quod intelligitur gratia ipse Deus gratis dans, eo quod  
ipse est principium omnis boni, non tantum in ho-  
minibus, sed etiam in aliis creaturis: & sic intelligen-  
dum est quod dicitur, loc. cit. *Sine me nihil potestis  
facere:* & sic etiam potest intelligi quod Apostolus  
dicit, quod non sumus sufficientes cogitare aliquid à  
nobis quasi ex nobis. Vel intelligendum est de cogita-  
tione illorum quæ ad fidem pertinent, quæ capaci-  
tatem naturalis rationis excedunt; & ad hæc homo  
In II. Sent. Tom. II.

(1) Vulgata omittit in. (2) Nicolai imminuta. Forte etiam infra imminutum.

sufficiens non est sine gratia fidei.  
Unde patet responsio ad secundum.  
Ad tertium dicendum, quod Deus non tantum  
juvat nos ad bene agendum per habitum gratiæ, sed  
etiam interius operando in ipsa voluntate, sicut in  
qualibet re operatur, & exterius occasiones, & au-  
xilia præbendo ad bene agendum; & sine his om-  
nibus nullus bene facere potest; oportet enim quod  
sicut motus difformes regulantur à motu uniformi,  
ita voluntates nostræ, quæ in bonum, & malum flec-  
ti possunt, dirigantur ab illa voluntate quæ non nisi  
recta esse potest. Vel dicendum, quod intelligit de  
bono meritorio.

Ad quartum dicendum, quod aliquis potest dici  
justus dupliciter: vel iustitia civili, vel iustitia in-  
fusa. Iustitia autem civili potest aliquis justus effici  
sine aliqua gratia naturalibus superaddita; non au-  
tem iustitia infusa. Neutra tamen iustitia consistit  
in hoc quod est justa operari: non enim quicumque  
justa operatur, justus est; sed qui hæc operatur sicut  
justus, ut II. Eth. dicitur. Unde non sequitur,  
si etiam iustitia civilis sine gratia haberi non posset,  
quod homo per liberum arbitrium non posset justa  
operari.

Ad quintum dicendum, quod bonum opus dicitur  
dupliciter. Vel opus quod est à virtute procedens,  
ea informatum; & hoc opus bonum naturalem per-  
fectionem rationis excedit, sive sit virtus acquisita,  
sive infusa: unde talis actus non elicitur à potentia  
nisi sit per habitum virtutis perfecta. Est autem aliud  
bonum opus etiam virtutem antecedens, quod vir-  
tutem acquisitam causat, & ad infusam disponit,  
ut patet in eo qui justa operatur, non sicut justus,  
quia indelectabiliter; & talis operatio naturalem per-  
fectionem rationis non excedit, quia tota rectitudo  
hujus operis est secundum regulam rationis, in qua  
sunt principia juris, quibus opus bonum regulatur;  
nisi forte secundum quod qualibet operatio excedit  
potentiam, sicut complementum ejus.

ARTICULUS II.

Utrum homo sine gratia possit vitare peccatum.

1. 2. quest. cix. art. 8. & III. cont. Gent. cap. clx.  
& de ver. quest. xxiv. art. 12.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod  
homo sine gratia non possit peccatum vitare.  
Primo per hoc quod supra, dist. xxv. Magis-  
ter dixit, quod homo ante reparationem gratiæ, per  
liberum arbitrium non potest non peccare etiam mor-  
taliter. Ergo sine gratia homo vitare non potest pec-  
catum.

2. Præterea. Per peccatum in aliquo libertas ar-  
bitrii (2) immutata est. Sed homo in primo statu hoc  
habuit quod bonum facere poterat, sed non merito-  
rium in statu naturalium. Ergo saltem in hoc per  
peccatum etiam immutatum est liberum arbitrium,  
quod homo vitare peccatum non possit.

3. Præterea. Augustinus dicit in Libro de vera  
Relig. cap. xiiii. quod natura superba necesse habet  
alii invidere: eadem autem ratione qui est in uno  
peccato, necesse habet in aliud peccatum cadere. Sed  
quantum ad præsentem statum, quilibet homo vel  
est in peccato, vel in statu gratiæ. Ergo videtur quod  
si non est in gratia, peccatum vitare non possit.

Mm Pre-

4. Præterea. Habens pedem claudum, non potest ambulare nisi claudicando. Sed peccatum est sicut quædam curvitas voluntatis. Ergo homo in statu peccati existens non potest non peccare.

5. Præterea. Mors ex peccato consecuta est, ut Rom. v. dicitur. Ergo ubi est necessitas moriendi, ibi est necessitas peccandi. Sed in statu isto inest nobis necessitas moriendi. Ergo & necessitas peccandi.

6. Quicumque tentationi resistit, tentantem vincit. Sed vincens præmium æternum promittitur Apocal. 11. & 111. Cum ergo ad præmium æternum nullus sine gratia venire possit, videtur quod nec sine ea aliquis possit tentationi resistere, peccatum vitando.

Sed contra. Gregorius dicit, Lib. V. Moral. cap. xvii. quod debilis est hostis qui non potest vincere nisi volentem. Sed quod est per voluntatem, non est per necessitatem. Ergo homo non necessario à peccato superatur; sed illud vincere potest.

Præterea. Ubi est necessitas agendi, ibi est virtus activa determinata ad unum. Sed hoc est contra rationem liberi arbitrii. Ergo homo in peccato existens non habet necessitatem peccandi; sed peccatum vitare potest.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, ut supra dictum est, quidam hæretici posuerunt in nobis naturam quamdam esse malam, quæ hominem necessario ad peccandum impellit. Hic autem error, ut dictum est, omnino liberum arbitrium excludit, & naturam rationis, & voluntatis: unde nec fidei, nec philosophiæ consonat.

Alii vero naturam liberi arbitrii servare volentes, dicunt quidem, quod homo secundum naturalem suam virtutem hoc modo conditus est ut peccatum vitare possit; sed per peccatum virtus illa adeo (3) immutata est ut homo in peccato existens vitare peccatum non possit, sed in aliud peccatum præcipitur, nisi per gratiam liberetur. Ne autem omnino peccatum necessarium ponere videantur, dicunt, quod homo in peccato mortali existens potest quidem hoc vel illud peccatum vitare, non tamen omnia; sicut etiam de venialibus dicitur. Dicunt etiam, quod potest homo in peccato mortali existens ad tempus stare, ne in peccatum cadat, sed non diu. Ista autem positio multipliciter apparet falsa. Primo quia cum peccatum bona naturalia non tollat, sed diminuat; illud quod ad naturam potentiæ naturalis pertinet, homo per peccatum amittere non potest, etsi in illo infirmetur. Cum igitur libera electio, vel fuga boni, seu mali, ad naturam liberi arbitrii pertineat; non potest esse ut per peccatum subtrahatur homini facultas fugiendi peccatum; sed solum quod minuatur, ita scilicet quod illud peccatum quod homo ante vitare de facili poterat, postmodum difficulter vitet. Similiter etiam quod inducunt de peccato veniali, non est simile: quod enim non possumus omnia venialia peccata vitare, sed singula, præcipue propter primos morus dicitur, ad quos non requiritur deliberatio consensus; sed sunt quidam subiti motus: unde dum homo uni obstare nititur, ex alia parte alius motus insurgit. Sed peccatum mortale requirit consensus determinatum: unde si potest vitare hoc & illud, potest eadem ratione vitare omnia. Nec iterum potest di-

(3) Nicolai imminuta. (4) Nicolai imminuta.

ci, quod ad tempus vitet, & non diu: quia liberum arbitrium resistens malo, non efficitur infirmum ad malum vitandum, sed multo fortius: unde multo magis postea potest vitare peccatum quam ante.

Et ideo cum aliis dicendum est, quod vitare peccatum intelligi potest dupliciter: aut peccatum jam commissum, aut peccatum committendum. Si intelligatur de peccato jam commissum, sic homo in peccato mortali existens, non potest peccatum vitare sine gratia: quia non potest se à peccato præterito absolvere, & à reatu culpæ, nisi per gratiam liberetur: & in hoc errabat Pelagius æstimans hominem propriis virtutibus sine gratia posse se à peccatis præteritis absolvere satisfaciendo. Peccatum autem committendum potest homo vitare etiam sine gratia, quantumcumque in peccato mortali existat. Si tamen gratia intelligatur aliquis habitus infusus, & non ipsa divina voluntas, per quam omnia bona causantur, & mala repelluntur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut videre dicitur dupliciter, scilicet habere visum, & uti visum; ita & peccare: unde cum dicitur, quod homo non potest non peccare ante reparationem, intelligitur non habere peccatum; sed non potest intelligi quod non possit non uti peccato.

Ad secundum dicendum, quod libertas arbitrii (4) immutata est per peccatum, sed non ablata. Quod autem dicitur, ut liberum arbitrium omnino non possit quod prius poterat, hoc ablationem facultatis designat, & non solum diminutionem; sed hoc ad diminutionem pertinet ut quod prius facile poterat, postmodum non sine difficultate, & pugna possit, quantum ad vitacionem mortalium; sed venialia omnia non potest vitare, propter rebellionem carnis ad spiritum.

Ad tertium dicendum, quod verbum Augustini non est intelligendum de necessitate absoluta, sed conditionata, quæ est necessitas finis. Vir enim superbus si fini suo inhærere vult, ut scilicet propriam excellentiam quærat, necesse habet ut invidet excellentiæ aliorum, quæ propriæ excellentiæ derogat; sed qui semel per superbiam peccavit mortaliter, non propter hoc necesse habet ut semper in actum superbiæ exeat: potest enim de uno peccato in contrarium peccatum transire, vel in bonum ex genere; & ideo non est necessarium quod invidet.

Ad quartum dicendum, quod ratio illa tenet in illis quæ agunt propter necessitatem naturæ, in quibus de necessitate operatio sequitur, secundum exigentiam perfectionis, & defectum operantis; non autem tenet in voluntariis: quia homo habens virtutem potest non uti virtute, sed in contrarium usum exire, & similiter habens habitum vitiosum, potest non uti habitu illo.

Ad quintum dicendum, quod mors non respondet pro pena cuiuslibet peccato, sed peccato primæ transgressionis, ex quo tota natura infecta est: unde sicut à necessitate moriendi homo non liberatur nisi per gratiam, ita & à necessitate subjacendi illi peccato per originem à parentibus in posteros transfuso. Non tamen oportet quod homo necessario in peccatum mortale actuale labatur.

Ad sextum dicendum, quod aliud est resistere peccato, & aliud victoriam de peccato habere. Quicumque enim vitat peccatum, peccato resistit, unde hoc potest fieri etiam sine gratia: nec oportet quod tunc homo resistendo peccato, mereatur præmium æternum.

num. Sed ille proprie vincit peccatum qui potest pertere ad hoc contra quod est pugna peccati. Hoc autem non potest esse nisi in eo qui opus meritorium operatur: unde talis victoria vitam æternam meretur, & sine gratia non fit.

## ARTICULUS III.

Utrum homo possit implere præcepta Dei sine gratia.

1. 2. quest. cix. art. 4.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod homo sine gratia Dei præcepta implere non possit. Qui enim mandata Dei servat, vitam æternam meretur, ut dicitur Luc. x. 28. Hoc fac, & vires. Sed hoc non potest homo sine gratia. Ergo nec mandata legis implere.

2. Præterea. Charitas non potest sine gratia haberi. Sed dilectio charitatis est in præcepto, Matth. xxi. Ergo præcepta non possunt sine gratia impleri.

3. Præterea. Ut supra Augustinus probavit, virtutes in nobis solus Deus operatur. Sed actus virtutum sunt in præcepto. Ergo præcepta ex nobis ipsis implere non possumus.

4. Præterea. Expresse hoc videtur per illud Act. xv. 10. (1) Hoc est onus quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus. Sed onus illud sunt præcepta legis. Ergo præcepta legis homo per se implere non potest.

5. Præterea. Nullus damnatur nisi pro peccato omissionis, vel transgressionis. Sed nullus damnatur qui præcepta legis implerit. Si ergo homo potest sine gratia præcepta legis implere, cum etiam possit sine gratia, ut dictum est, peccatum mortale vitare, videtur quod homo possit sine gratia damnationem penitus vitare. Sed quicumque non damnatur, est in gloria. Ergo homo sine gratia poterit ad gloriam pervenire: quod est omnino hæreticum.

Sed contra. Hieronymus (2) in expositione symbol. ad Damas. dicit: Qui Deum dicit præcipere impossibilita, anathema sit. Sed impossibile est homini illud quod implere non potest. Ergo mandata Dei homo per se implere potest.

Præterea. Deus non est magis crudelis quam homo. Sed homini imputatur in crudelitatem, si obliget aliquem per præceptum ad id quod implere non possit. Ergo hoc de Deo nullo modo est æstimandum; & ita sine gratia homo per se legis præcepta implere potest.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod de præceptis legis dupliciter contingit loqui: aut quantum ad id quod directe cadit in præcepto, aut quantum ad intentionem legislatoris. Directe autem cadit in præcepto actus virtutis quantum ad substantiam operis, & non quantum ad modum agendi, quem circa ipsum virtus ponit: hoc enim directe alicui præcipitur quod statim in ipso est ut faciat illud. Non autem est in homine ut faciat actum virtutis eo modo quo virtuo-

In II. Sent. Tom. II.

(1) Vulgata: Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices discipulorum quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?

Ex Edit. P. NICOLAI. (2) Hieronymi nomine non hic dumtaxat refert S. Thomas, ut & illo tempore passim omnes, immo & nunc nonnulli; sed Pelagii potius est catholicum fingentis, ut errorum damnationem effugeret: unde non mirum, ut sub Hieronymi nomine venditari facile potuerit, quasi explanatio fidei ad Damasum, ut inter ejus opera suppositicia inscribitur.

sus facit, prius quam virtutem habeat, vel acquisitam, vel infusam. Sed intentio legislatoris est, ut in II. Ethic. cap. 1. dicitur, cives facere bonos, & per assuetudines operum quæ præcipiuntur, inducere ad virtutem: & huic consonat verbum Apostoli I. Timoth. 1. 5. Finis præcepti charitas est: ad hoc enim data sunt præcepta legis, ut homines in dilectionem Dei, & proximi instituantur. Est ergo intentio legislatoris non tantum ut hæc opera fiant, sed ut ex charitate fiant. Dicendum est ergo, quod præcepta legis, quantum ad id quod directe sub præcepto cadit, potest aliquis implere per liberum arbitrium sine gratia gratis data, vel gratum faciente; si tamen gratia accipiatur pro aliquo habitu infuso: sed quantum ad intentionem legislatoris, sine gratia impleri non possunt: quia donum charitatis non inest nobis ex nobis, sed à Deo infusum. Sed si gratia pro divina voluntate gratis in nobis omnia bona causante, accipiatur, tunc dicendum, quod neutro modo homo sine gratia præcepta implere potest: & ideo Pelagius erravit, qui simpliciter impleri præcepta legis posse sine gratia posuit.

Ad primum ergo dicendum, quod præcepta legis non qualitercumque observata in vitam æternam inducunt; sed solum secundum quod opera quæ præcipiuntur, charitate informata sunt, secundum quod cadunt sub intentione legislatoris: & hoc modo planum est quod sine gratia servari non possunt.

Ad secundum dicendum, quod sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundum quod sunt à virtute, vel secundum quod antecedunt virtutem; ita etiam est de caritate: potest enim aliquis, etiam charitatem non habens, diligere proximum, & Deum, etiam super omnia, ut quidam dicunt: & hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto directe cadere, & non solum secundum quod à charitate procedit.

Ad tertium dicendum, quod actus virtutum non sunt in præcepto, secundum quod à virtute procedunt, sed quantum ad substantiam operis, ut dictum est, secundum quod contingit aliquem facere justa, etiamsi non faciat ut justus facit.

Ad quartum dicendum, quod hoc dictum est propter multitudinem præceptorum veteris legis, præcipue quantum ad cæremonialia, quæ nunquam multitudo populi observaverat, & non nisi cum magna difficultate observari poterant.

Ad quintum dicendum, quod homo, etsi nunquam transgrederetur, vel omitteret, nihilominus tamen peccato originali subjectus esset, à quo non nisi per gratiam liberari potest: pro quo merito subiret damnationem, & etiam ad legitimam ætatem deveniens in hoc ipso peccaret quod se ad gratiam non præpararet: unde etiam pro tali negligentia puniretur. Si autem præpararet se, faciendo quod in se est, proculdubio gratiam consequeretur, per quam vitam æternam mereri posset.

Mm 2

AR-

## ARTICULUS IV.

*Utrum homo possit se præparare ad gratiam sine aliqua gratia.*

1. 2. *quest. c. art. 6. & quodl. 1. art. 7. & IV. dist. xvii. quest. 11. & de ver. quest. xxiv. art. 19.*

1. **A**d quartum sic proceditur. Videtur quod homo non possit se præparare ad gratiam sine aliqua gratia. Primo per id quod dicitur Hierem. x. 23. (1) *Non est in homine via ejus, nec viri est ut dirigat gressus suos.* Sed nullus præparatur ad gratiam, nisi gressus ejus dirigantur, & viam salutis quærat. Ergo non est in potestate hominis ut se ad gratiam præpararet.

2. Præterea. Illud quod est in potestate hominis, non est necessarium ut homo ab alio petat. Sed quod homo præpararetur ad gratiam, petendum est à Deo, ut patet in Psalm. lxxxv. 11. *Deduc me Domine in via tua.* Ergo præparatio ad gratiam non est in potestate hominis.

3. Præterea. Illud quod visibiliter factum est in quibusdam qui gratiam consecuti sunt, probabile est etiam in aliis, saltem invisibiliter, fieri; cum eadem ratio sit de uno, & de omnibus. Sed quidam, cum etiam gratiæ resisterent, per speciale munus gratiæ ad gratiam præparati sunt, ut patet in conversione Pauli. Ergo etiam alii sine gratia, saltem gratis data, ad gratiam præparari non possunt.

4. Præterea. Hebr. xi. 6. *Oportet accedentem ad Deum credere quia est.* Sed fides non potest haberi nisi per gratiam: *Dei enim donum est,* ut ad Ephes. 11. 8. dicitur. Ergo cum nullus se ad gratiam præpararet, nisi accedendo ad Deum, videtur quod sine munere gratiæ homo se ad gratiam præparare non possit.

5. Præterea. Augustinus dicit, tract. ix. super I. Epistol. Joan. quod timor servilis inducit charitatem, sicut seta linum. Sed timor servilis est donum Spiritus Sancti. Ergo per gratiam gratis datam homo præparatur ad gratiam gratum facientem.

Sed contra. Zachar. 1. 3. dicitur: *Convertimini ad me. & ego convertar ad vos.* Sed conversio quam nobis indicit, non videtur esse aliud quam præparatio ad receptionem gratiæ. Ergo hoc primo à nobis exigitur ut ad gratiam præparemur, quam quod Deus ad nos gratiam infundendo convertatur.

Præterea. Anselmus (a) dicit: *Quod aliquis non habeat gratiam, non est ex hoc quod Deus non velit eam dare, sed quia homo non vult accipere.* Ergo si homo vult accipere, Deus eam dabit. Sed illud quod in voluntate hominis constitutum est, in potestate liberi arbitrii est. Ergo in potestate liberi arbitrii est ut homo ad gratiam se præpararet.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod gratia dupliciter potest accipi: vel quodcumque excitativum voluntatis exhibitum homini ab ipsa divina providentia, qua omnibus rebus gratis impendit ex sua bonitate ea quæ ipsis conveniunt: vel aliquod donum habituale

(1) Vulgata: *Non est hominis via ejus; nec viri est ut ambulet, & dirigat gressus suos.*

Ex Edit. P. Nicol. (a) De Diabolo nominatim hoc dicitur in dialogo de casu diaboli cap. 111. sed quia initio illius dialogi præmittit æque Angelis, ac hominibus dictum esse: *Quid habes quod non accepisti? de hominibus quoque multo magis intelligendum quod postmodum de diabolo dicit.*

in anima receptum, quod gratis à Deo confertur. Si ergo primo modo accipitur gratia, nulli dubium est quod homo sine gratia Dei non potest se præparare ad habendum gratiam gratum facientem: ut enim in VIII. Physic. text. xx. ostenditur, mutatio voluntatis effici non potest sine aliquo movente per modum excitantis: omne enim motum necesse est ab alio moveri. Nec differt quidquid sit illud quod hujusmodi variationis occasionem præbeat, quasi voluntatem excitando; sive sit admonitio hominis, vel ægritudo corporis, vel aliquid hujusmodi: quæ omnia constat divinæ providentiæ subjecta esse, & in bonum electorum ordinata. Unde quidquid illud fuerit quod hominem excitaverit ad accipiendam gratiam, ut gratiam gratum facientem accipiat, gratia gratis data dici potest: & sic sine gratia gratis data homo se ad gratiam non præparat; etiamsi gratia gratis data dicatur ipse actus liberi arbitrii, quem Deus in nobis facit, quo ad gratiam gratum facientem præparamur. Si autem accipitur gratia pro aliquo munere habituali animæ infuso, sic duplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod nullus potest se ad gratiam gratum facientem præparare, nisi per aliquod lumen menti infusum, quod est donum gratiæ gratis datæ. Istud autem non videtur conveniens: quia præparatio quæ est ad gratiam, non est per actus qui sint ipsi gratiæ æquandi æqualitate proportionis, sicut meritum æquatur præmio: & ideo non oportet ut actus quibus homo se ad gratiam habendam præparat, sint naturam humanam excedentes: sicut enim natura humana se habet in potentia materiali ad gratiam, ita actus virtutum naturalium se habent ut dispositiones materiales ad ipsam: unde non exigitur ad hoc ut homo ad gratiam se præpararet, aliquod aliud lumen gratiæ præcedens. Et præterea secundum hoc esset abire in infinitum: quia illud etiam lumen gratiæ gratis datæ non datur alicui, nisi qui ad illud recipiendum se præparavit, alias omnibus daretur: quod non potest intelligi, nisi forte gratia gratis data dicatur naturale lumen rationis, quod pertinet ad bona naturalia, & non ad gratuita, nisi large accepta. Si autem præparatione indiget talis gratia gratis data, tunc redibit quæstio de ista præparatione, utrum in eam possit homo ex se, vel non: & sic vel abiretur in infinitum, vel erit devenire ad aliquam gratiam ad quam homo per se præparare potest se: & non est ratio efficax quare hoc magis in una gratia sit quam in alia. Et ideo aliis consentiendo, dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest præparare: faciendo enim quod in se est, gratiam à Deo consequitur. Hoc autem solum in nobis est quod in potestate liberi arbitrii constitutum est.

Ad primum ergo dicendum, quod directio gressus spiritualis non potest esse nisi à Deo, sine cuius providentia nullum bonum contingit. Nec tamen oportet quod hoc per aliquem habitum infusum fiat, si directio gressuum ad præparationem ad gratiam gratum facientem præcedentem referatur.

Ad secundum dicendum, quod homo non potest se ad gratiam præparare, nec aliquod bonum facere sine Dei auxilio; & ideo rogandus est ut nos ad se convertat, & etiam alios. Nec tamen oportet quod illud auxilium semper sit per aliquem habitum infu-

sum; sed potest esse per multa quæ exterius sunt salutis occasio, & per ipsum actum interiorem quem Deus in nobis causat.

Ad tertium dicendum, quod claritas illa quæ circumfulsit Paulum, fuit claritas corporalis, quæ fuit quædam occasio quæ ipsum induxit ut se ad gratiam habendam præpararet, deiciendo ipsum, & contemendo: & cum se ad gratiam præparavit, gratiam consecutus est. Non tamen oportet quod antequam gratiam gratum facientem acceperit, sibi aliquod lumen gratiæ gratis datæ infusum fuerit: unde non dicitur, quod intus in ipso fulserit claritas, sed quia eum circumfulsit, quasi exterius. Ita etiam alii qui ad Deum convertuntur, occasiones salutis Deus præparat.

Ad quartum dicendum, quod etiam ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id quod in naturali ratione est: unde dicitur, quod si aliquis in barbaris natus nationibus, quod in se est faciat, Deus sibi revelabit illud quod est necessarium ad salutem, vel inspirando, vel doctorem mittendo. Unde non oportet quod habitus fidei præcedat præparationem ad gratiam gratum facientem; sed simul homo se præparare potest ad fidem habendam, & ad alias virtutes, & gratiam habendam.

Ad quintum dicendum, quod quamvis per timorem servilem charitas inducatur, tamen non est necessarium ut timor servilis charitatem præcedat: timor enim servilis semper cum peccato mortali habetur. Multi autem charitatem consecuti sunt, qui nunquam mortaliter peccaverunt. Unde objectio nihil probat ad propositum.

## ARTICULUS V.

*Utrum homo possit scire aliquid verum sine gratia.*

1. 2. *quest. cix. art. 1.*

1. **A**d quintum sic proceditur. Videtur quod sine gratia homo nihil verum scire possit. Primo per id quod dicitur I. Corinth. xii. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto:* ubi dicit Ambrosius (Ambrosiaster) quod omne verum, à quocumque dicatur, à Spiritu Sancto est. Sed Spiritus Sanctus non habitat in nobis nisi per gratiam. Ergo nullum verum dici, aut sciri, sine gratia potest.

2. Præterea. Revelatio divina non fit nisi per infusionem alicujus luminis gratis dati. Sed Rom. 1. dicitur quod illis, scilicet Philosophis, revelavit ea quæ etiam naturali ratione cognoverunt. Ergo nulla cognitio veritatis potest esse sine aliquo lumine gratiæ infuso.

3. Præterea. Facilior via est cognoscendi aliquid per doctrinam quam per inventionem. Sed, sicut Augustinus in Lib. de Magistro cap. xii. dicit, nullus potest discere exterius, nisi interius Deus doceat: unde patet quod per doctrinam cognitionem veritatis homo habere non potest nisi per gratiæ auxilium interius operantis. Ergo multo minus per inventionem; & ita nullo modo: quia omne quod quis novit, discens, vel inveniens novit, ut Philosophus dicit.

4. Præterea. Sicut se habet lux corporalis ad visum, ita se habet lux spiritualis ad intellectum. Sed nihil potest videri corporaliter nisi per influxum lu-

cis corporalis, & præcipue maxime lucentis, quod est sol. Ergo nihil potest intelligi nisi per influxum luminis spiritualis à Deo; & hoc est gratia: ergo nullum verum sine gratia sciri potest.

5. Præterea. Quæcumque sunt in genere aliquo, reducuntur sicut in causam in unum primum, quod est maximum in genere illo. Sed primum in genere intellectivorum est ipse Deus. Ergo est maxime intelligens, & causa intelligendi omnibus intelligentibus. Sed non causat aliquid in nobis, nisi aliquid influendo. Ergo non possumus aliquid verum intelligere sine infusione alicujus gratiæ.

Sed contra. Damascenus dicit de orthod. Fide Lib. II. cap. xxi. quod nulla res destituitur propria operatione. Sed intelligere verum est propria operatio intellectus. Ergo sine omni gratia superaddita, veri cognitionem habere potest.

Præterea. Non est impotentior intellectus in intelligendo quam sensus in sentiendo. Sed sensus sine gratia potest sentire sensibilia. Ergo & intellectus sine gratia potest intelligere intelligibilia.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod verorum quædam sunt naturali rationi proportionata, quædam naturalem rationem excedunt. Illa naturalem rationem excedunt quæ non possunt concludi ex primis principiis per se notis. Cum enim (1) prima principia sint sicut instrumenta intellectus agentis, ut Commentator dicit in III. de Anima com. v. xii. xx. xxxvi. oportet ea esse proportionata virtuti ejus, sicut organa corporalia sunt proportionata virtuti motivæ: unde quæ ex primis principiis concludi non possunt, naturale lumen intellectus excedunt. Hujusmodi autem sunt ea quæ fidei sunt, & futura contingentia, & hujusmodi: & ideo horum verorum cognitio sine lumine gratiæ gratis datæ haberi non potest, sicut est lumen fidei, & etiam prophetiæ, & aliquid hujusmodi. Si autem loquamur de illis, veris quæ naturali rationi proportionata sunt, sciendum est, quod circa hoc est duplex opinio.

Quidam enim dicunt, ut supra dictum est, quod intellectus agens est unus omnium, intellectum agentem Deum esse dicentes: & cum intellectus agens se habeat hoc modo ad intelligibilia, sicut lucidum ad visibilia, volunt quod sicut non potest videri aliquid visibile nisi per emissionem radii corporalis, ita non possit intelligi aliquid intelligibile sine nova emissionem radii spiritualis, qui est gratia gratis data. Sed hæc positio conveniens non est, ut supra dictum est dist. xvi. quest. 11. art. 2. non enim intellectus agens est aliqua substantia separata; vel Deus, ut quidam Theologi dicunt; vel intellectiva, ut plures Philosophorum: ut supra dictum est; sed naturalis virtus ipsius rationalis animæ. Nec tamen oportet, hac positione supposita, ut semper nova infusio gratiæ fieret in cujuslibet veri cognitione, eo quod infusio, & emanatio spiritualium donorum non est successiva per modum motus; sed est fixa, & permanens: unde secundum unam irradiationem spirituales, intellectus possibilis ad omnia sibi proportionata cognoscenda perficeretur.

Aliorum vero opinio est, quod intellectus agens sit quædam potentia animæ rationalis: & hanc sustinendo, non potest rationabiliter poni, quod oportet ad cognitionem veri, talis de quo loquimur, aliquid quod

(1) Al. propria.